Andreas Dudithius Stanislao Orichovio Polono S.

de A°o 1566.
64./

Ea pars orationis tuæ, qua Cromerum Amicissimum meum nimis acerbè perstringis, magnumq; optimo et doctissimo viro vulnus imponis, omninò injucunda et inexpectata mihi accidit. Est n. ille ob eximias omnis generis virtutes, ob singularem omnium honestarum disciplinarum cognitionem, ob pietatem, ob præclara in hanc vestram Remp. et planè im̃ortalia merita dignissimus, qui omnium manibus in coelum efferatur, atq; omnium linguis ad summam laudem celebretur. Intelligunt id exteræ nationes, apud quas profectò dici non potest, quantum illi tribuatur. Ac si tanti in patria sua illius virtus æstimaretur, quanti eam universus propemodum terrarum orbis æstimat, esset certè Cromerus nemini in Polonia secundus, etiam in his bonis, quæ in benè morata et bonis legibus ornata Republ. optimis civibus præmia sunt constituta. Quod si non ille fortè tanti sit, quanti debet, in Polonia, nemo prudens magis illi, quam suis hoc adscribet, quorum judicium, ut nunc reliquæ nationes, sic posteritas omnis reprehendet. Quamvis hanc illum fortunam, quam sibi cum omnium statuum præclarissimis ac præstantissimis viris communem esse, ignorare non potest, qua illius est animi moderatio, æquissimo animo ferre existimo. Atq; eo quidem magis quod à molestissimis curis, quæ et summum magistratum, et ambitiosæ detestandamq; vitam aulicam, quam ingeniorum et pietatis pestem rectè dixeris, necessario sequuntur, longiùs abest, et suavissimis longeq; omnibus thesauris anteponendis literarum studiis et divinarum rerum contemplatione pascit animum et in hac vita coelestem illam im̃ortalem planeq; omnibus bonis affluentem vitam vivit: qua verè quidem vita, hæc autem quam ego et mei similes vivimus, ipsissima, ut ita dicam mors appellanda. Videt ille pro sapientia sua, quam sint contemnenda, quæ nos, veris bonis relictis, magno studio consectamur, opes, honores, splendor quidam vitæ fucatus, qui falsa specie oculorum aciem nobis præstringit, ita ut ad veram virtutis lucem quandam penetrare non possit, quò si pertingeret, nemo profectò tam hebeti atq; obtuso videndi sensu, quin hæc oĩa umbram quandam, ac ne umbram quidem, sed oĩ inani-

tate ina

inanitate inaniora esse liquido perspiceret. Quod quidem, si quis alius, certe unus Cromerus intelligit optime, per beatum illud divinumque vitae genus persequens, et in honesto otio pulcherrimarum rerum pabulo mentem explaturatur suam. Qui si in eo loco, quo tu, quo ego, natus est, aut ut apertius loquar, si non nobilem, sed plebejum patrem habet (nam ab hoc quoque latere eum sauciat oratio tua) quaeso te, mi Leichovi, qui utriusque praeceptis institutisque Philosophiae eam assecutus es scientiam, ut quae vera sint, quae falsa bona, discernere, longeque tuum a multitudinis imperitae sensu judicium abducere debeas: Quid, obsecro te, hoc, aut quantum tui similes hoc est praestantes et virtute praeditos viros, valere, quid omnino ponderis ac momenti habere debet? Consule aliquid valere, sat culpabile esse. Num hanc ille culpam praestare aut potest aut debet, quod natura, sive naturae praeses, et rerum omnium Conditor Deus, nemine in consilium adhibito, non inter Patricios, non inter Equites splendere, sed ad plebejum illius generis ordinem abjicere voluerit. Quis illi propterea litem movebit! Quamvis, quae vera ac germana sit nobilitas, quamque illa ab hac nostra, qua vulgo nimium nobis placemus et ad aliorum contumeliam per fastum abutimur, longissimo intervallo disjuncta sit, tu unus optime intelligis. Quare si ab hac vulgari, quam nemo sapiens unquam admiratus est, generis nobilitate exclusus Cromerus; quod tamen nescio, (non est c. n. mihi illius nota familia) at certe ab altera illa, quae in virtute sibi dominium fixit, quae una propemodum nobilitatis nomen meretur ambabus ulnis exceptus, in summo ac splendidissimo dignitatis fastigio collocatur; unde omnes eum omnium virtutum corona circumseptum, ac quasi stellis quibusdam coruscantem magna cum voluptate, nec tamen sine invidia, procul intueri queant. Haec est illa vera nobilitas, a qua si quis repulsus etiamsi alteram illam mihi afferat, et longo ordine Avos et Proavos numeret, fumosasque imagines e tenebris ac penetralibus aedium erutas in lucem proferat, ostendatque; non hunc ego majoribus suis, qui hanc, quam ipse obscurat, lucem primi in domum intulerunt, neque nobili loco aut ipso etiam nomine magnopere dignum reputem; tantum abest, ut eum praestantibus illis viris, quos virtus ipsa nobilitat clarosque efficit anteponendum censeam. Quare nolim apud te tuique similes hoc ulla ex parte Cromero nocere, quod nemini unquam bono ac sapienti viro nocuit, sed illud ei adjumento atque ornamento esse velim existimes

Quod te

quod te facere sat scio, sine quo nemo unquam neq bonus neq sapiens
vir habitus e. Illam si haberet quam profecto iniuria ita extolli,
neq generi nobilitatem, Deus bone quanta cum hominum multitu-
dine ei communis illa esset, qui praeter vultum humani nihil
obtinent; Atqui cum habet, in eorum se numerum videt ē aggre-
gatum, qui et pauci sunt, et soli hominis appellationem merito
habent.

Verba Orichovii in Ep: ad Andr:
Dudithium Episcopum Quinqueecclesiensem.
fuerunt haec.

Ea gente, eo loco, eo denique ordine genus nostrum in Polonia Dei
benignitate ē, ut vere etiam contra gentem meam Cromero dicenti
velent credere Polonorum sacratae leges: Tantum abest ut illi credant
de nobis aperte falsum affirmanti; Tribuunt sane Cromero ingenii
acumen, literarum scientiam ac multarum artium disciplinam, sed ut illius
testimonium in laedendo equestre genus habeat fidem, hoc illi non tribuunt.

Jacobo Commelino Genevam
Pax Christi. 65.

Jacobe Commeline, adolescens animo meo carissime [= Mon. a. 4: N.. 128]
Non ignoras quam arcta mihi cum tuo pijssimo pa-
tre ante multos annos necessitudo intercesserit,
et quoniam amicitias bonorum decet esse perpetu-
as, subducto paterno consuetudinis fructu,
Antonio etiam nuper sublato, equid intelligis
in te meos oculos conjectos esse? Tu nunc su-
stines solus omnem expectationem Commelinae
familiae tuae, adeo eius nobis jam tui patris me-
moriam colentibus, et instar multorum. Proin-
de nisi tu omnibus officiis cordati adolescentissi-
mi persequendis, firmam officii custodiam, neque
animi summam contentionem adhibeas, nisi subin-
de te ipse erigas, tibi instes, te instruas, et con-
firmes, respondere non poteris votis nostris;